

APPENDIX EDITORIS

AD TRACTATUM DE EUCHARISTIA

I.

Decretum S. Congreg. Concilii diei 11 Maii 1904, de observandis et evitandis in Missarum manualium satisfactione.

Ut debita sollicitudine Missarum manualium celebratio impleatur, eleemosynarum dispersiones et assumptarum obligationum oblationes vitentur, plura etiam novissimo tempore S. Concilii Congregatio constituit. Sed in tanta nostrae aetatis rerum ac fortunarum mobilitate et crescente hominum malitia, experientia docuit cautelas vel majores esse adhibendas, ut piae fidelium voluntates non fraudentur, resque inter omnes gravissima studiose ac sancte custodiatur. Qua de causa Emi S. C. Patres, semel et iterum collatis consiliis, nonnulla statuenda censuerunt, quae SSimus D. N. Pius PP. X accurate perpendit, probavit, vulgarique jussit, prout sequitur.

Declarat in primis S. C. *manuales* Missas praesenti decreto intelligi et haberi eas omnes quas fideles oblata manu stipe celebrari postulant, cuiilibet vel quomodocumque, sive brevi manu, sive in testamentis, hanc stipem tradant, dummodo perpetuam fundationem non constituant, vel talem ac tam diuturnam, ut tamquam perpetuam haberi debeat. Pariter inter manuales Missas accenserit illas, quae privatae alicujus familiae patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed in nulla ecclesia sunt constitutae, quibus Missis ubivis a quibuslibet sacerdotibus, patrisfamilias arbitrio, satisfieri potest. Ad *instar manualium* vero esse, quae in aliqua ecclesia constitutae, vel beneficiis adnexae, a proprio beneficiario vel in propria ecclesia hac illave de causa applicari non possunt; et ideo aut de jure, aut cum S. Sedis induito aliis sacerdotibus tradi debent ut iisdem satisfiat. Jam vero de his omnibus S. C. decernit:

1º. Neminem posse plus Missarum querere et accipere quam celebrare probabiliter valeat intra temporis terminos inferius statutos, et per se ipsum, vel per sacerdotes sibi subditos, si agatur de Ordinario dioecesano aut praelato regulari.

2º. Utile tempus ad manualium Missarum obligationes implendas esse mensem pro Mis- sa una, semestre pro centum Missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus

minusve, juxta majorem vel minorem numerum Missarum.

3º. Nemini licere tot Missas assumere quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat; salva tamen semper contraria offerentium voluntate, qui aut brevius tempus pro Missarum celebratione sive explicite sive implicite ob urgente aliquam causam depositant, aut longius tempus concedant, aut majorem Missarum numerum sponte sua tribuant.

4º. Cum in decreto *Vigilanti* diei 25 mensis Maii 1893 statutum fuerit « ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum, aut utcumque ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni Missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint propriis Ordinariis tradant juxta modum ab iis definiendum »; ad tollendas ambiguitates Emi Patres declarant ac statuunt tempus his verbis praefinitum ita esse accipendum, ut pro Missis fundatis aut alicui beneficio adnexis obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent: pro Missis vero manualibus obligatio eas deponendi incipiat post annum a die suscepti oneris, si agatur de magno Missarum numero; salvis praescriptionibus praecedentis articuli pro minori Missarum numero, aut diversa voluntate offerentium. Super integra autem et perfecta observantia praescriptionum quae tum in hoc articulo, tum in praecedentibus statutae sunt, omnium ad quos spectat conscientia graviter oneratur.

5º. Qui exuberantem Missarum numerum habent, de quibus sibi liceat libere disponere (quin fundatorum vel oblitorum voluntati quoad tempus et locum celebrationis Missarum detrahatur), posse eas tribuere, praeterquam proprio Ordinario aut S. Sedi, sacerdotibus quoque sibi benevisis, dummodo certe ac personaliter sibi notis et omni exceptione majoribus.

6º. Qui Missas cum sua eleemosyna proprio Ordinario aut S. Sedi tradiderint ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevari. Qui vero Missas a fidelibus susceptas, aut utcumque suae fidei commissas, aliis celebrandas tradiderint, obligatione teneri usque dum peractae celebrationis fidem non sint as-

sequuti; adeo ut si ex eleemosynae dispersione, ex morte sacerdotis, aut ex alia qualibet etiam fortuita causa in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat, et Missis satisfacere teneatur.

7º. Ordinarii dioecesani Missas, quas ex praecedentium articulorum dispositione conservabunt, statim ex ordine in librum cum respectiva eleemosyna referent, et curabunt pro viribus ut quamprimum celebrentur, ita tamen ut prius manualibus satisfiat, deinde iis quae ad instar manualium sunt. In distributione autem servabunt regulam decreti *Vigilanti*, scilicet: « Missarum intentiones primum distribuent inter sacerdotes sibi subjectos, quos eis indigere noverint: alias deinde aut S. Sedis, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus extra dioecesanis, dummodo sibi noti sint omnique exceptione maiores », firma semper regula articuli 6º de obligatione, donec a sacerdotibus actae celebrationis fidem exegerint.

8º. Vetus cuique omnino esse Missarum obligationes et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemericorum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, necnon venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui Missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum, finem. Constitut enim id effici non posse nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis Missarum agendo aut eleemosynas ipsas imminundo: quod utrumque omnino praecaveri debere S. Congregatio censuit. Quapropter in posterum quilibet hanc legem violare praesumpserit, aut scienter tradendo Missas, ut supra, aut eas acceptando, praeter grave peccatum quod patrabit, in poenas infra statutas incurrit.

9º. Juxta ea quae in superiori articulo constituta sunt, decernitur pro Missis manualibus, stipem a fidelibus assignatam, et pro Missis fundatis aut alicui beneficio adnexis (quae ad instar manualium celebrantur) eleemosynam juxta sequentes articulos propriam, nunquam separari posse a Missae celebratione, neque in alias res commutari aut imminut, sed celebranti ex integro et in specie sua esse tradendam, sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus, ubi vis, quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi contrariis.

10º. Ideoque libros, sacra utensilia vel quilibet alias res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemericibus iniire ope Missarum, nefas esse atque omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo si agatur de Missis celebrandis, sed etiam si de celebratis, quoties id in usum et

habitudinem cedat et in subsidium alicujus commercii vergat.

11º. Item sine nova et speciali S. Sedis venia, (quae non dabitur nisi ante constititer de vera necessitate, et cum debitum, et opportunis cautelis) ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariorum tradere solent, non licere quidquam detrahere ut ipsorum decori et ornamento consulatur.

12º. Qui autem statuta in praecedentibus articulis 8, 9, 10 et 11, quomodolibet aut quo-vis praetextu perfringere ausus fuerit: si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni a *divinis* S. Sedi reservatae et ipso facto incurrandae obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susceptis Ordinibus pariter subjacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores Ordines assequendos; si vero laicus, excommunicatione latea sententiae episcopo reservata obstringetur.

13º. Et cum in constitut. *Apostolicae Sedis* statutum sit, excommunicationi latea sententiae Summo Pontifici reservatae subjacere colligentes eleemosynas majoris pretii, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrire in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent: S. C. declarat, huic legi et sanctioni per praesens decretum nihil esse detractum.

14º. Attamen ne subita innovatio piis aliquibus causis et religiosis publicationibus noxia sit, indulgetur ut associationes ope Missarum jam initiae usque ad exitum anni a quo institutae sunt protrahantur. Itemque conceditur ut indulta reductionis eleemosynae Missarum, quae in beneficium sanctuariorum aliarumve piarum causarum aliquibus concessa reperiuntur, usque ad currentis anni exitum vigeant.

15º. Denique quod spectat Missas beneficiis adnexas, quoties aliis sacerdotibus celebrandae traduntur, Emi PP. declarant ac statuant, eleemosynam non aliam esse debere quam synodalem loci in quo beneficia erecta sunt. Pro Missis vero in paroeciis aliisve ecclesiis fundatis, eleemosynam quae tribuitur, non aliam esse debere quam quae in fundatione vel in successivo reductionis induito reperitur in perpetuum taxata, salvis tamen semper juribus, si quae sint, legitime recognitis sive pro fabricis ecclesiarum, sive pro earum rectoribus, juxta declarationes a S. C. exhibitas in *Monacen*. 25 Julii 1874, et *Hildesien*. 21 Januarii 1898. In *Monacen*. enim, attento quod eleemosynae Missarum quorundam legatorum pro parte locum tenerent congruae parochialis, Emi Patres censuerunt licitum esse parochi, si per se satisficerent, eas Missas alteri sacerdoti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci sive pro Missis lectis sive cantatis». Et in *Hildesien*. declaratum est, « in legatis Missarum aliqua in ecclesia fundatis retineri posse favore ministrorum et ecclesiastum inservientium eam redditum portionem

« quae in limine foundationis, vel alio legitimo modo, ipsis assignata fuit independenter ab opere speciali praestando pro legati admimento ».

Denique officii singulorum Ordinariorum erit curare ut in singulis ecclesiis, praeter tabellam onerum perpetuorum et librum in quo manuales Missae quae a fidelibus traduntur ex ordine cum sua eleemosyna recentantur, insuper habeantur libri in quibus dictorum onerum et Missarum satisfactio signetur. Ipsorum pariter erit vigilare super plena et omnimoda executione praesentis decreti: quod Sanctitas Sua ob omnibus inviolabiliter servari jubet, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

II.

Dubia circa praecedens decretum et responsiones S. Congreg. Concilii.

1. An Missae quae ex onere perpetuo inhaerent ecclesiae, monasterio, confraternitatibus, aut locis piis quibuscumque, sed in nulla ecclesia sunt constituta, ita ut a qualibet sacerdote pro administratorum arbitrio ubi vis applicari possint, accenseri debeant inter fundatas vel potius inter manuales ad effectum decreti 11 Maii 1904.

2. An sacerdotes quibus a rectoribus seu administratoribus ecclesiarum committitur satisfactione unius aut plurium legatorum Missarum, in ecclesia fundatorum, possint pro suo arbitrio committere earum Missarum celebrationem aliis sacerdotibus cum minori eleemosyna etiam extra ecclesiam propriam.

3. An sacerdotes fruentes capellaniis fundatis, sive ecclesiasticis sive laicalibus, possint aliis sacerdotibus Missas suarum capellaniarum celebrandas committere, statuta eleemosyna pro suo arbitrio.

4. An episcopus possit sub censuris latea sententiae compellere sacerdotes, beneficiatos et administratores locorum piorum in fine cuiuslibet anni ad sibi tradendas Missas quibus infra annum non satisficerint, et sub iisdem poenis illis prohibere ne mittant extra dioecesim.

Et S. C., die 19 Decembr. 1904, respondit: Ad 1. Habendas esse ad instar manualium.

Ad 2. Non posse.

Ad 3. Negative, et servandas esse dispositiones articuli IX decreti.

Ad 4. Contra transgressores articuli IV citati decreti, episcopum procedere posse in particulari, servatis de jure servandis, etiam cum censuris.

Alija dubia.

1. In dioecesi (Bredana), vicarii (adjutores parochorum) in domo parochi tamquam ejus familiares degunt communis utentes victu. Parochi pro vicarii victu et servitio salarium modicum ex ecclesiae redditibus solvitur, quod

ferendis his expensis impar est. Unde consuetudine introductum est ut pro victu et servitio, vicarii parochi in cumulo cedant fructus Missarum pinguiorum et vicariis tribuant stipendum ordinarium Missae lectae, unius floreni. In casu stipendiis ordinarii augmentum solvitur parochi pro victu et servitio, ita tamen ut ex stipendiis pinguioribus non plus retineatur quam honesta compensatio postulat.

2. Ad providendum honestae suea sustentationi, parochi in pluribus dioecesis locis Missas non in determinata ecclesia fundatas, anniversaria, nec non alias Missas manuales, quae per annum a fidelibus offeruntur, quaeque parochi eorumve vicarii celebrare nequeunt, e suggestu publicant et alibi celebrari curant, retenta sibi parte stipendi pro administratione et publicatione. Ita v. g. pro Missis, quae ad S. Congregationem quovis mensemittuntur ad f. 0, 60, a fidelibus saepe offertur stipendum unius floreni. Quoad Missas fundatas et anniversaria, quae per annum offeruntur, haec praxis fere communis est, ac populo haud raro nota. Quoad alias Missas manuales hic usus solummodo viget in parochiis ubi cum consensu Ordinarii e suggestu publicatum est partem stipendi, nisi fideles obstant, retentum iri pro sustentatione parochi, Missasque aliis sacerdotibus dicendas traditum iri.

3. Una alterave adest parochia, ubi vicarii omnes fere Missas ad intentionem parochi celebrare debent, qui eis praestet victum et servitium, dum ipsi ex aerario ecclesiae determinatam obtinent pensionem.

Dubitatur num triplex haec consuetudo a decreto S. C. Concilii diei 11 Maii 1904 *De observandis etc.*, sit reprobata.

S. C. die 25 Februarii 1905 respondit:

Attentis omnibus, Ad 1. et 3. consuetudinem sustineri. — Ad 2. Non sustineri; et ad mentem. Mens est ut quoad consuetudines, de quibus sub num. 1. et 3., episcopus vigilet ne excessus sit in modo, aut alias abusus oriatur, quia tum consuetudo non sustinetur. Et quoad 2. dubium Emi Patres censuerunt retentionem quadraginta pro centenis esse excessivam. Si tamen episcopus judicet parochos hoc subsidio egere pro honesta eorum sustentatione, aut expensis cultus, aut alias urgenti necessitate, posse recurrere pro gratia. Sed in casu gratiae ponendas esse tabellas in visibili ecclesiae loco, quibus monentur fideles de detractione partis stipendi Missarum. Interim autem parochos ex eleemosynis deducere posse quod stricte necessarium est pro expensis administrationis et expeditionis juxta normas a probatis doctoribus traditas.

Postrema dubia.

1. An ad art. 7 decreti *De observandis etc.* die 11 Maii 1904, sub nomine *Ordinariorum veniant quoque praelati regulares pro suis respectivis subditis.*

2. An episcopi dioecesani et praelati regulares, qui aliis episcopis seu praelatis regularibus Missas cum sua eleemosyna celebrandas tradiderint, ob omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevati censeantur; an potius obligatione teneantur usque dum perfectae celebrationis fidem sint assequuti.

3. Mos invaluit in dioecesi (S. Deodati) ut vicarii apud parochos in domo curiali degentes pensionem non argento exsolvant, sed Missae suae quotidianae, sive lectae sive cantatae, eleemosynam parocco dimittant. Quaeritur utrum mos ille licite possit retineri?

4. Vigore plurium indultorum idem episcopus orator concedere potest sacerdotibus suae dioecesis facultatem recipiendi eleemosynam vel pro secunda Missa, pro Missis diuinorum festorum in Gallia suppressorum, *dummodo supradicta eleemosyna pro suae dioecesis operibus piis applicetur*. Porro vestigii trium suorum antecessorum inhaerens, idem orator episcopus concessus sacerdotibus ut, quaecumque sit eleemosynae quantitas, ad cancellariam episcopalem non mittatur nisi eleemosyna synodal is, id est libella 1, 50. Quaeritur an haec episcopi concessio sit legitima?

5. An juxta art. 2, termini persolutionis statui possint usque:

ad 10 Missas	1	mensis
20	2	>
40	3	>
60	4	>
80	5	>
100	6	>

et ita porro pro quibuslibet 20 Missis unum mensem addendo.

6. An hi termini intelligentur seorsim quoad quemlibet stipendum offerentem, vel etiam intelligi possint cumulative quoad omnes aliqua occasione, v. g. in aliqua solemnitate offerentes: ita ut si tunc stipendia offeruntur a 100 oblatoribus, a qualibet pro una Missa, omnes hae Missae in termino sex mensium persolviri debeant.

7. An in casu art. 7 pro sacerdotibus qui ab Ordinario stipendia accipiunt, termini currant non a die quo primarii offerentes stipendia dederunt, sed ex concessione Apostolicae Sedis a die quo Ordinarius ipsis stipendia tribuit.

8. An ista stipendia, etsi primario a pluribus offerentibus data, tamen in casu art. 7 tamquam ab uno scilicet Ordinario oblata censenda sint.

9. An liceat Ordinario omnibus his Missis communem generalem intentionem (ad intentionem dantium) praescribere, etsi a primariis offerentibus speciales intentiones praescriptae fuerint.

S. C. Concilii, die 27 Febr. 1905 propositis dubiis ita respondit:

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 3. Affirmative, dummodo et quousque excessus in modo, aut aliisabus non oriatur, super quo Ordinarii erit vigilare.

Ad 4. Negative.

Ad 5. Rem relinqu discrete judicio et conscientiae sacerdotum juxta decretum, et regulas a probatis doctoribus traditas.

Ad 6. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad 7. Affirmative, id est obligationem incipere a die quo sacerdotes Missas celebrandas ab Ordinario recipiunt.

Ad 8. Episcopus curet, ut quantum fieri potest, Missae a pluribus receptae a pluribus sacerdotibus tempore debito satisfiant.

Ad 9. Sufficere ut sacerdotes celebrent juxta mentem Ordinarii, qui tamen intentionem pro singulis offerentibus efformare debet juxta regulas a probatis theologiae moralis auctoribus traditas. Melius tamen esse si patefiant sacerdotibus intentiones praescriptae.

III.

Decretum ejusdem S. C. C. « sub gravi conscientiae vinculo » servandum, diei 22 Maii 1907.

I. Ut in posterum quicumque Missas celebrandas committere velit sacerdotibus, sive saecularibus sive regularibus extra dioecesim commorantibus, hoc facere debeat per eorum Ordinarium, aut ipso saltem auditio atque annuente.

II. Ut unusquisque Ordinarius, ubi primum licuerit, suorum sacerdotum catalogum conficiat, describatque Missarum numerum, quibus quisque satisfacere tenetur, quo tutius deinceps in assignandis Missis procedat.

IV.

De Missis in Orientem mittendis.

Quoad Missas ad antistites aut presbyteros ecclesiarum quae in Oriente sitae sunt, mittendas, haec a S. C. C. die 9 Sept. 1907 declarata sunt: 1º. Mitti possunt ad Delegatos apostolicos Missarum intentiones cum relativa eleemosyna, « ut eas distribuant dumtaxat praelatis et sacerdotibus delegationis suae ».

2º. Item, superiores ordinum et institutorum religiosorum Missarum intentiones cum relativa eleemosyna directe mittere possunt ad suos subditos in Oriente commorantes, sed « taxative pro religiosis subditis suis, non vero pro ceteris ».

Denique, die 10 Martii 1908, SS̄mus Dñus Noster benigne indulgere dignatus est ut, cum agitur de antistitibus habentibus jurisdictionem ordinariam episcopalem in Oriente, Missarum intentiones cum relativa eleemosyna, ab episcopis et sacerdotibus ad ipsos antistites directe mitti possint, pro necessitatibus sacerdotum dumtaxat eis subiectorum ». Epist. S. C. Conc. 18 Martii 1908.